



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De disciplina quo ad positionem boni. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

Apost. 3, 19

iuste suo iudicio super aliquo arguuntur, non turbentur animo: sed potius pro fratrum diligentia circa ipsos, qui quos amant, arguunt & castigant, & exercitio virtutis oblato, in Domino gaudeant & exultent, ad verba & verbera propter Christum grater & humiliter parati sustinenda. Et licet fratres professi aliquando propter infirmos, providè duxerint abstinentium; ne pro qualibet offensa reprehendant eos indifferenter, aut nimis superbe, quavis pie, ut si quid in eis reprehensibile viderint, suo consilijs denuncient instructori: ipsi tamen fratres novitij ab omnibus corrigi, & ab

Augu. 10. 7.  
de corrept.  
& gra. c. 5.  
Seneca lib.  
de virtut.  
cap. conti-  
nentia.

4. Mor.  
cap. 24.

S. Fran. in  
admonitio-  
nib. ad fra-  
tres, ubi de  
correctione.  
par. 1. firm.  
trium ord.  
fol. 29. co. 2.

omnibus erudiri affectent. Qui non vult corrigi, non vult corrigi, ait quidam. Admoneberis (inquit) libenter, reprehenderis patienter.] Probata siquidem patientiæ virtus, reddet eos Deo & fratribus gratiosos. Culpam suam nullo modo defendant. Nimirum (ut ait beatus Gregorius) quæ defenditur culpa geminatur. Sed si sentiunt se immunes, satisfactione semper quantumcunque fuerint innocentes, humiliter præoblata, possunt innocentiam suam, cum reverentia tamen, corripienti ostendere, si requisiti fuerint aut permissi. Vnde sanctus Franciscus, Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum: & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.]

### De disciplina quo ad positionem boni.

#### CAP. XI.

**C**ONGRUIT iam de disciplina quo ad positionem boni aliquid tangere. Et primo de disciplina circa informationem cordis, ad quam est lectio illuminans intellectum, & oratio accendens affectum. Secundo, circa ex-  
erci-

exercitationem, ad quam diuinum spectat officium. Tertio, circa exercitationem operis, ad quam spectat altaris ministerium.

*De disciplina circa cordis informationem,  
& primò de oratione.*

CAP. XII.

**I**NSTENT orationi feruenter: non solum Rom. 12, 12  
in oratorio, verum etiam vbicunque fuerint, 1. Cor. 3, 17  
cum ipsi sint templum Dei: aut certè in lectis  
occulte, ac sine perceptibili sibilo. Quippe tanto securior, quanto secretior existit oratio. Et Bern. in Speculo monac.  
quasi capitulum sibi metipsis tenentes, in quo proficiant vel deficient, quotidiana secum discussione perquirant. De vocatione sua, & innumeris beneficijs Saluatoris, gratias ei debitas, tota mentis deuotione soluentes: quod inchoauerunt bonum, ab eo perfici instantissima S. Bened. in prologo reg.  
oratione deposcant. Nec solum pro se, verum etiam pro alijs tam viuis quam mortuis orent: & quasi quoddam memento sibi constituent. Orandi modus. Basil. ita orandum docet lib. constit. monast. c. 2.  
Poterit oraturus primò de laude Dei incipere: hinc impensa sibi beneficia memorare: deinde necessitates quas patitur & defectus exponere: postremò humiliter postulare. Ordo tamen & modus, quem Spiritus sanctus suggerit, est seruandus in oratione, & qui affectui magis sapit. Ad orandi studium meditatio prouocat & informat. Hugo dicit, Sic orationi sancta meditatio necessaria est, vt omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur aut præcedat. Nam & hi, qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo facile per ignorantiam falluntur, aut certè minus quam oportet dignè petendo, per desidiam tepescunt. Quanto homo magis mala sua intelligit,

Hugo à S. victore 10, 2. institut. monast. de modo orandi, cap. 1. Meditatio necessaria orationi.